

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 1790

**Auteur(s) :** Conrad [légit pontifical]

**Bénéficiaire(s) :** Rouen (archevêque)

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1233, 30 juin

**Lieu d'émission :** Planium

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Lettre adressée à l'archevêque de Rouen et ses évêques suffragants sur les Albigeois.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa, t. XI*, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta Ecclesiae Rotomagensis, n° XXXIII, col. 32-33.

## Dissertation critique

Analyse de Gallia Christiana : « Epistola Conradi, sedis apostolica legati, adversus Albigenes » (Gallia Christiana, t. 11, col. 32).

Texte établi d'après a

Venerabilibus patribus Dei gratia Rotomagensi archiepiscopo et ejus suffraganeis episcopis, salutem in Domino Jesu Christo. Dum pro sponsa veri crucifixi, vestrum cogimur auxilium implorare, potius compellimur lacerari singultibus et plorare : ecce quod vidimus loquimur, et quod scimus testificamur. Ille homo perditus, qui extollitur super omne quod colitur, aut dicitur Deus, jam habet perfidiæ sua præambulum Hæresiarcham, quem hæretici Albigenes papam suum appellant, habitantem in finibus Bulgarorum Croatiæ et Dalmatiæ, juxta Hungarorum nationem. Ad eum confluunt hæretici Albigenes, ut ad eorum consulta respondeat ; etenim Carcassona oriundus, vices illius antipapæ gerens, Bartholomæus hæreticorum episcopus, funestam ei exhibendo reverentiam, sedem et locum concessit in villa quæ Porlos appellatur, et seipsum transtulit in partes Tolosanas. Iste Bartholomæus in literarum suarum undique discurrentium tenore, se in primo salutationis alloquo intitulat in hunc modum : Bartholomæus servus servorum sanctæ fidei tali salutem. Ipse etiam inter alias enormitates creat episcopos, et ecclesias perfide ordinare contendit. Rogamus igitur attentius, et per aspersionem sanguinis Jesu Christi, et propensius obsecramus auctoritate domini papæ quâ fungimur in hac parte, districte præcipientes, quatenus veniatis Senonis, in octavis apostolorum Petri et Pauli proxime futuris, ubi et alii pælati Franciæ, favente Domino, congregabuntur, parati consilium dare in negotio prædicto, et cum aliis qui ibidem aderunt providere super negotio Albigeni ; alioquin inobedientiam vestram domino papæ curabimus significari. Datum Planium sexto nonas Julii.